

DIALOGUS IV.

Nata vero fimiliter in Aegypto Idola ex
innocentibus Populi signis.

TULLIUS.

PRimis e terra Sennaar in Aegyptum, sub duce Chamo, migratoribus, initio quidem, tria cumprimis vehementer incommodabant. I. Indoles Regionis, ex imbrum defectu Provinciis, unde venerant, plurimum dissimilis. II. Inundantis Nili mensura inæqualis. III. Ferarum sylvestrium, absentibus hominibus nimio opere propagatarum, ingens multitudo, & ab his pericula non minora.

Ob incognitam regionis indolem conferebant agros pro more aliorum: dum vero æstivis mensibus, ob segetem lætissime crescentem, sperarent messem amplissimam, superveniens Nilus non modo sata omnia, verum etiam domos, aquis intumescens tam subito merfit, ut & ipsos pariter cultores per sæpe facto involverit. Hæc damna longis annis moesti subierunt: donec tandem sapientes eorum, quibus nomen Sacerdotum dabatur, studiosis observationibus discerent, quo anni tempore Nili affluxus fieret, quæ illum signa præcederent, quas teneret mensuras, ut se res cum limo post ejus defluxum haberet. Haud enim principio putabant, hac inundatione limo fertilitatem conferri, & semina in eo spargenda esse. Timide tandem facto rei periculo, & segete uno anno belle profecta, alter mox annus præproperam spem denuo fellit: quod aquæ vel demissius, vel altius, ac par erat, exundantes, imparem, aut nullam terræ fecunditatem afferent. Præter flumen bestiarum quoque, sylvarum omnia lustra implentes, vitam intutissimam reddiderunt. Quas proinde publicis venationibus, iisque communibus, hostiliter persequi, & conficere oportuit.

In

III.

In tam difficili rerum articulo maxime opus fuit, rudem ac trepidum populum de varia temporum ratione, ac quando, qualiterque hæc agenda, & illa effugienda essent, instruere. Sed hoc quomodo fieret, nullis adhuc literarum elementis reperitis, quibus præcepta communia describerentur? Certe ad imagines confugere oportuit, easque tam planas, ac simplices, ut vel sola figura rem exhiberent, v. c. mensuram aquæ baculus erectus, cum aliquot asserculis transversis: vel, ut rei pictæ proprietas, in vulgus nota, suam cum re significata similitudinem, & analogiam palam præferret, ut alæ volucrum cum vento &c. Hujusmodi signis populus præmonendus erat de affluxu Nili, ut se fugæ ad montes pararet. Didicerunt hoc tandem Sacerdotes, observatione Boreæ, ab Aquilone flantis, quo vapores, dum Sol Cancrum pertransiret, in meridiem propellebantur, apud Aethyopes, Nilique ostia, vehementes, longasque in pluvias, quotannis resoluti: e quibus Nili tumor, & is major, minorque pro modo imbrium, exurrexit. Stellam quoque lucidissimam, ipsis, nobisque *Caninam* dictam, huic vento semper præeuntem, quasi fidum subsæcutoræ inundationis monitorem, usu agnoverunt.

IV.

Diodor.
ficul. Bi-
blioth. lib.
I.

Histor.
Nat. L. V.
Sect. 9.

Post Nili abscessum, seminandum esse in limo relicto, mense Novembri, pariter demum cum proventu experti sunt, vehementer admirati, nullo prope suo labore, messem sibi uberriam in Martio, vel Aprili provenire. Verumtamen plurimum intererat, studiose atrendere, quantum excreverint aquæ, utque *Plinius* inquit, *Auctus mensuram notis deprehendere.* „ Justum incrementum (pergit ille) Cubitorum XVI. Minores aquæ non „ omnia rigant: ampliores detinent, tardius recedendo. Hæc „ ferendi tempora absumunt, solo madente: illa non dant, fictiente. Utrumque reputat Provincia. In XII. cubitis famem „ sentit. In XIII. etiamnum esurit. XIV. Cubita hilaritatem asferunt. XV. Securitatem. XVI. Delicias. „ Ubi adnotat *Cl. Commentator Harduinus*, Cubitos Aegyptiacos longe nostris majores existere.

V

Ista porro omnia explorare cum singuli nescirent, explorata tamen esse omnium ut maxime interforet, ad Sacerdotes attinuit, publica Populo signa rei tam necessariæ in aprico statuere. Neque minor de Venationibus indicandis cura esse debuerat; cum be-

bestiarum rapacitas & crudelitas, homines, æque, dum plana incolerent, dumque a Nilo fugientes montana peterent, ob famis rabiem incurfarent. Adhæc sollicitudo tam varia & anxia consequendæ annonæ, vitæque tuendæ cura compulit sane timidos & egentes, ad festa, publicasque & communes supplicationes, Deo agendas; ubi denuo signis palam expositis opus erat, ut alia plurima mittam. Hæc omnia interim signa, quibuscunque fierent imaginibus, ait *Pluche*, quam plurima eorum describens ac pingens, sive singularia, sive unam in figuram, etiam humanam, ut *Osfiridis*, *Isidis*, & *Hori* composita, nihil plane superstitionis habebant, sed mera Populi disciplina, & institutio fuerant veri, uniusque Dei cultu apud omnes integerrimo.

Durabat hæc innocentia signorum tamdiu, donec lapsu seculorum literæ, quibus res describi possent, adinvenirentur. His in usum deductis, cessabatur a picturis loquentibus, tandemque fiebat, ut nihilominus antiquitatis causa retentæ, cum usui necessario haud amplius essent ad vitæ actiones, & Reipublicæ directionem, amitteretur earum vera notio atque cognitio, & putarentur ab ignaris res esse, quæ signa solummodo fuerant. Ita *Osfiris*, *Isis*, & *Horus*, hominum forma, cum variis hieroglyphicis adjectis exhibiti, ut populo varium statum Cœli, Terræ, & Fertilitatis, pro varia temporum ratione designarent, cœperunt pro imaginibus veterum Principum bene meritorum haberi; quo pacto, refrigescente pietate, vanitate autem, atque cupiditatibus invalescentibus, facile in idola transferunt. Primum porro inspiratus hominibus factus, e suo genere Deos creandi, nimium quantum eorundem sensum, ac mentem excœcavit.

PUBL. Mira hæc mihi; certe autem jucundissima: cum adeo peculiari provinciæ genio, primæque in ea gentis discriminibus, rationi præterea, & genio hominum, ac usui vitæ, vix propius quidquam dici posse hoc in argumento videatur. Ea sola cupido me tenet, uno, alteroque specimen horum Signorum notitiam pleniorum consequendi. TULL. Impera nunc desiderio tuo, donec Deorum, Dearumque Nummos intueamur, ubi sæpius mihi ad Ægyptios provocandi opportunitas nascetur. PUBL. Sustinebo libens, dummodo adhuc mihi verbulo dixeris, quo pacto Idololatria ex Ægypto univèrsam in orbem egredi potuerit.

C

TULL.

VI.

VII

TULL. Quam tu mihi, sibi pariter *D. Pluche* movendam ab omnibus quæstionem diligenter prænoverat. Quapropter a paragrapho V. per totius reliqui libri decursum respondet, singulos prope Græcorum, & Romanorum Deos percurrendo, eorumque originem & formam, Ægyptiorum ad signa reducendo.

VIII.

Tibi nunc nosse sufficiat, olim hunc Populum vicinis omnibus regionibus ingenti admirationi, cum ob Religionis, & Fæstorum pompam, tum ob egregiam Politici regiminis formam, longe magis autem ob summam frumentorum, & olei, linique, ac omnium frugum abundantiam, quam, in imbrium defectu, solius Nili affluxu procuratam, perpetui quasi prodigii loco habuerunt. Unde, quanto rarius Ægyptii ad alios proficiscerantur, dum domi universis, quæ ad vitæ usum præstarent, abundabant; tanto frequentius Gentes ceteræ, cum primis autem Phœnicii proximi, ad illos navigando accessere, partim sterilitate terræ suæ sæpius adacti ad fruges coemendas, partim opinione tantæ gentis, & regionis, ac religionis curiositate Inducti. Quo fiebat, ut picta eorum signa, omnibus in festis apud eos pompæ gratia publice proposita, secum domum deferrent, ut hominum curiositas est, aliis deinde cum gentibus rursus communicarent, vera eorum notione, quæ suis provinciis aliunde non conveniret, neglecta, & sola imaginum novitate, ac varietate gaudentes. Ecce tibi Circen Ægyptiam, & poculum illud impietatis, quo toti mundo idololatriæ toxicum propinabatur.

IX.

PUBL. Acquiesco brevitati tuæ, prolixè me tamen erudienti. Rectius jam ex dictis tuis omnibus intelligo, quæcunque Deus fecit, fuisse valde bona, neque ullam rem creatam natura sua induxisse ad idololatriam, cum speculum potius visibile invisibilis Principii sui existat. Vanitatem vero cordis humani induxisse intellectui torporem probæ meditationis circa opera Dei, in hoc amplissimo totius mundi teatro nobis proposita; ex torpore fluxisse quodammodo ignorantiam, vel certo oblivionem virtutis Divinæ: hanc alteruteram deinde, nisi utramque, degenerasse in consummatam idololatriæ stultitiam.

TULL. Probe sapis, & sapies amplius, dum proxime tibi denuo collocuturus edixero, quanta ignorantia & fatuitate, omnem sanæ rationis modum negligente, stultissimi idololatræ vir-

tu-

tutem Divinam, unica omnipotentiae abyſſo comprehenſam infinitas in deitates ita diſtraxerint, quaſi caucaſum immanem in meros atomos diſcerpere voluiſſent.

DIALOGUS V.

De diverſitate, ac multiplicitate
Deorum.

PUBLIUS.

Equidem fateor, quia pudet me, in enarranda idololatria dementia fatigare te, totque bonas horas tibi ſurripere, Honorande Tulli. Quoniam vero Roma, cum Græcis delirans, tantum auri, argenti, æriſque ſui ſignati, in hoc monſtrum ſtultæ ſuæ imaginationis pingendum inſumſit, Rei Nummariæ veteris cognitio ſine ſuperſtitionis hujus nonnulla tractatione maxima fere ſui parte laboraret. TULL. Juvabit nos ad virtutem in hac qualicunque induſtria noſtra, ſi, quo ſævius hanc peſtem in omne prope hominum genus, orbemque univerſum pervagatam eſſe planxerimus, tanto excellius de abyſſo Bonitatis, & Miſericordiæ Dei, atque Gratia Salvatoris cogitemus. PUBL. Erigis hoc monito ſaluberrimo trepidantem animum, tibi que, ut Superi largiantur, morem piſſimum gerere, diligenter con-
nitar.

TULL. Vetuſtiſſimorum Scriptorum ſuis de Diis narratio uſque adeo perplexa, inconfans, & vel in unius libriſ contraria eſt, ut vel hinc quaſi liquido conſtet, neſciſſe eodem, quid ſcirent. Idem *Dionyſus Halicarnaſſeus* nunc teſtem agit *Varroni*, ac *Plutarcho* tradentibus, Romæ ad uſque *Tarquini Prisci* tempora nullum idolum fuiſſe; nunc e conſerſo aſſerit, Romulum illico Tempſa, & Fana, araſque, & ſimulacrorum Delubra,

I.

II.

Lib. II.
cap. 36.

Ibid. c. 9.